

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Coniugium a
cum fonte primo

Quia egritudini semper consulendum,
propterea si contigerit primo priuari coniugio,
si uoluerit secundas uel tertias inire nuptias,
nullum de illis peccatum habebit
si eas caste seruauerit.

Et si fuerit aliquis coniugalis excessus
qui tamen legitimum non uiolet thorum,
habebit nonnullum sed ueniale peccatum.

Augustinus de fide ad Petrum.

Vnde quia aegritudini semper est consulendum,
propterea si cui primo contigerit priuari coniugio,
si uoluerit secundas, uel etiam tertias inire nuptias,
nullum de illis peccatum habebit,
si eas caste seruauerit,
id est, si unus et una, legitime dumtaxat coniuncti,
fidem seruant, ut nec ille mulieri praeter uxorem,
nec illa uiro praeter maritum ullatenus misceatur.
In talibus
et si fuerit aliquis coniugalis excessus,
qui tamen legitimum non uiolet torum,
habebit nonnullum sed ueniale peccatum.

Fulgentius Ruspensis, *De fide ad Petrum seu de
regula fidei*, 45 (CCSL 91A, J. Fraipont ed.,
pp.742-3, ll.937-945).